oriatur à nobis, et sit tanta in potentibus
pertinacia, ut velint imponere talem servitutem
Ecclesijs. Ego do hoc consilium, ut deserantur
Ecclesiae, ut fit ad Rhenum et alibi, ubi iam
autem prorsus solitudo est in templis, ac lupi
in eis grassantur. Tulimus et antea
regna et clamores indoctorum. Unus fra[illegible]
sapienter hanc novam servitutem, si tamen
absit impietas. Maxima mihi certamina
de Canone fuerunt, et Deo gratias ago,
si obtineo, ut non sperant illa impia posterita[illegible]
Si de Adiaphoris etiam vehementer contenderem
prorsus nulla de re audiremur. Iam hic
experto Suevorum, et Bucerum. Nam et
tua patria decrevit fere, ut restituantur Eccl[illegible]
ad normam libri Augustani. O rem miseram
Quoties, quam paucis annis mutatae sunt in
tua patria Ecclesiae. Ideo si potes mane[illegible]
non temere discedas. Peculiares illas Ceremon[illegible]
administrari per diaconum possunt

Iam rescribo Bucero. Bene vale, et rursus
scribito quamprimum. Die Matthiae 1549.

Philippus Melanthon

Martinus Bucerus Philippo Melanthoni

Aeternus filius dei, summusque moderator omnium
et temporum et hominum, velit vertentis
anni momenta, et hominum corda sic regere,
ut tam diuturnorum cruciatuum, si non liberationem, tamen aliquantulum perspiciatis
tandem mitigationem, repressis vere nunc
ventis et fluctibus, quibus Ecclesiae nunc
adeo perniciose iactantur. Amen

Nos praeter vicinarum Ecclesiarum horribiles
vastationes Suevicas et Rhenanas atque agri
proximi, et vestras indies nostras Ecclesiae
periculum, acerrime affligit metus de vobis,
et Ecclesijs vestris. A Quirinij enim nostri
reditu nihil certi de vobis cognovimus, nisi

de maximo vestrae provinciae commutatione, quae
contigit in die Stephani Zipsie. In quo-
rum scriptum sit, frequentes esse et adhibitos
Ecclesiarum Doctores, respiravimus aliqua
spe boni eventus nobis confirmata. Nam
nisi audere illorum sententias voluissent
qui rebus praesunt, existimamus non fuisse
admissuros adeo multos. Quo itaque aliquid
certius de Consilij huius decretis cognosceremus
misimus hunc hominem ad vos, per quem
de Ecclesiarum vestrarum fortuna, et vestra
quae sit, et quae scitis expeti a vobis, ut scri-
bere velitis, vos etiam atque etiam oramus.
Nos, ut et alij multi, non parum curarum
pannarum evolvimus, quas Deus minatus
est Esai: 3. Iterum hoc anno fere
usque ad secundam horam a meridie laboratum
est, antequam Consul potuerit deligi. Dilecti
quoque ad 50. numero aut supra migrarunt
hinc, cum Imperator esset Spirae. Iam ini-

tium

tium fulminandam in nos proscriptionem
persuaderi sibi passi fuerant literis Vanissimi
cuiusdam Nebulonis. Nunc cum extrahitur
tempus recipiendi. Interim, qui supersunt ex
divitibus, maxima ex parte minantur se
civitati renunciaturos esse. Nam iterum sparse-
runt infami quidam, conscriptam et consignatam
in nos proscriptionem. Esse enim in manu
Christi corda et manus eorum, quibus datum
est proscribere, non credunt. Ideo quo plus posse
putant, eorum iram amplius expaviscunt.
Horrendumque quam multum seminis Evangelii
in petrea corda sparsum sit passim. Sunt tamen
hic permulti Deum vero corde invocantes. Verum
habemur ὡς πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα.
Paulo ante et ipso tempore calamitatis praesentis eri-
puit Deus nobis aliquos praestantes viros, nonnulli
senio et morbis fracti sunt, et qui his succedunt
loco, animo, et pietate succedere eis non student.

+

Ut praesentia postulant Reipub. tempora. Itaque
peritioribus potestatem serviandi publicae Religionis
alio esse translatam. Hactenus tamen senatus
noluit ipse aliquid mutare vel in doctrina vel in
ritibus; tentavit autem cum Episcopo et suis
canonicis transigere, ut ipsi quarundam suarum
superstitionum restitutione contenti, nobis permitterent
parochiarum administrationem.
Illi autem cum aliunde pendeant, et Antichristi
ministri res sui domini multo curent diligentius
quam nos Christi, postulant sibi restitui omnia.
Inito autem hoc conatu, quid tentaturi sint nunc
novit Dominus; hic ut corroboret eos et dirigat
votis summis orate, plerique eorum angoribus, et moe-
roribus conficiuntur. Nolunt se contaminari
ulla restitutione impietatis, horrentque perferre
omnia ijs, qui restituta volunt. Utera omnia
ut remitti aliquid sibi de indicta formula exorent.
Spem nullam habent reliquam, possit id tam

frustra tentaverunt. Extremam vero subitam
indignationem eorum, quos deus sic ... ,
non audent. ~~Nollo~~ Nonnulli decreverunt,
siquid oporteat mutari, abire.
In Helvetijs quoque misere turbantur omnia.
Septem pagi obstinatissime Antichristo Romano
adhaerent. His commiscuerunt se pagi duo, qui
tamen plurimos parochos habent profitentes
Evangelium, sed publica gubernacula tenent
Papistae. Hi novem pagi legatos miserunt
ad quatuor reliquos, Tigurum, Bernam, Basi-
leam et Schaffhusiam, et postularunt, ut
et ipsi generali concilio futuro sese subjicerent,
ne communi patriae malum aliquod accersant.
Responderunt hi quidem viriliter: Ubi consilium
vere Christianum coactum fuerit, et Christiane
id agetur, se memores fore officij sui. Unum
tamen se quam verbo dei videre posse quod

cum Sectari non dubitent, nihil se in Reli-
gione mutare velle, propter hominum decreta,
tamen languent et inter hos conuulsi,
Cui incommodo accedit, quod a Bernatibus ex possessione
ditionis Sabaudicae pars, quam occuparunt,
cum Gebennam vrbem suam obsidione Sabaudi
soluerunt. In hac causa valde verendum, ne
deserantur etiam Bernates ab Euangelicis socijs.
Gallus autem forsan se illis iunget, qui sibi gra-
tiam iniuit, et metuunt ei nō pauci
ex sapientissimis hominibus, idque ex multis
causis, quibus adiecta nuper horribilis
seditio in Xantonibus ad Burdegalam, pressione
cum renouata sit noua et infanda seuitia
magis quam sedata.

In Ducatu Wirtembergensi sperauit princeps
admissis Missis posse se concionatores synceros
retinere suo populo. Verum breui post accepit
literas a Caesare, ut a Concionibus remouerentur

Euangelij nouam formulam noluerint recipere
Concionatores. Iussit tamen eos Princeps, donec
accipiant successores, aegrotis verba et Sacramenta
administrare. Alimentis iuuat honesto viatico,
collegerat et aliunde pulsos, et prolixam benig-
nitatem praestat multis. Vtinam id nō faciat
sero. Nam nemo non prudentum expectat,
ut ditio eius adijciatur Regi Ferdinando.

Passim feruntur de ingenti apparatu Imperatoris,
et plures diuinant eum moliri restitutionem
Sabaudi. Quare et Galli et Bernates
quasi certum bellum expectant, cuius motionis,
quamquam plurima et perspicua signa appareant,
non desunt tamen, qui metuant ista fingi, ut
alij securiores eo facti, opprimantur imparatiores.
Paulo ante promiserant quidam astrorum rerum
Augures, annum hunc tranquillum fore, et
impendendum rebus confirmandis. Sed constat
Turcas vocatos, et caetera multa sic geri, ut maximum

nullum aestimatur, et forsitan in nullis l
In procinctu est permagnus exercitus in Belgio
qui occurrere debet filio Imperatoris, Ad
occursum parati aliquot Hispani, qui hyberna
agunt in Ducatu Wirtembergensi. Atque hi cum
pedites sint, equos sibi sumpserunt a rusticis.
Horribilis est in ista regione vastitas, et Ecclesiarum
et politiae. In plerisque locis intra octo septimanas
nulla habita concio est. Dux Bipontinus, et
ne Vienus Comes Hanouiensis Episcopis pa[illegible]
runt Ecclesias suas. Sed non habent Episcopi
quos mittant sacrificulos. Interim illi reijciunt
suos ministros. Episcopus Spirensis respondit,
Se non posse mittere sacrificulos qui ministrent
secundum Interim, cum in eo quaedam
insint aliena a doctrina et ritibus Ecclesiae
Catholicae, tamen etiam non habere se quos
mitteret. Postremo etiamsi haberet quos e
mitteret, et posset eos per religionem mittere

tamen opus fore maiori cautione pro suis,
ut eos eximeret ab iniurijs et contumelijs populi,
Aliquibus ministros Papistae miserunt. Illi autem
agunt tam frigide et vivunt tam flagitiose
ut alicubi iterum eijciantur, alicubi etiam male
vapulent. Unde nuper quidam magnus et bonus
Pilatus dixerat: Isti mali homines reple-
runt adeo aures suis exclamoribus et scriptis,
ut res nostrae non possint restitui. Et omni-
no confido Deum istis Antiochis dubio finem
citius impositurum, quam eos Antichristi ex-
stinxerint. Hic si necesse sit Epo nostro resti-
tuere Collegia, extincta plane nostra schola.
Et si formula illa nova recipietur, nos ministri
etiam alias quaerimus sedes, siquidem liceat.
Evocari ad pastoratum foret optimum, proximum
exilium in locis Christo potentibus, Vincula ini-
piorum abhorreo; sed nec in his Deus deserit

innocentes se, qui vindicat patientes iniuriam
et solvit vinctos. Et oro ut respicere digneris
vinctos suos Ulmenses, quos scripserunt literarum
inita formula, ad quam se obligassent.
Alius autem scripsit, eos Domino constare, qui
confirmet eos. Gravissimum enim Ecclesiae
vulnus inflixerunt, si se frangi paterentur, et
exemplum spem superandi adversariis nostris
augeret. Perdurum est vinctum teneri apud
hos homines, sed quod durum adeo, quod non
reddat nomen Domini nostri Jesu Christi.
Hic ferunt quendam ministrum durissimum car-
cerem sustinuisse, plus .15. annis, nullam aliam
ob causam, quam quod non vult abiurare vin-
dictam contra principes vestros. Sic sic Diabo-
lus potest indurare suos Martistas, sustinent-
tiam suos et Spiritus Christi uneratus.
Habes quo nos merito visitamur a Domino,
utinam tu rescribas mitiora. Quid in Argen-

[illegible]

constitutum sit, nondum rescivimus. Utinam
illic fundamenta Zion in sanctis montibus
suis firmius collocentur, quam factum est apud
nos. Scripsit his diebus ad D. Jacobum
Stirnmium nostrum, D. Michael Meienburg,
consul Northusanus, D. Crucigerum tandem
migrasse esse in domum suam coelestem. Quod
illi quidem gratulari debemus maxime hoc tempore,
et corpore eius sic affecto, quanta tamen Christi
usura erepta est in eo Ecclesiae. De eo quoque
scripsit quae nos terrent supra modum, edere
omnino eum parum, dormire nihil, metuum esse
de veneno, quo credimus et Crucigerum esse con-
fectum. O Christe Plerator patris, mitiga
hanc iram in nos severissimam, ne talibus
doctrinae tuae custodibus, et assertoribus, tantisque
misericordiae tuae pignoribus spoliemur.
Collegae omnes salutem et consolationem Domini
uberrimam tibi, totique vestrae scholae et Ecclesiae
cunctisque eius administris toto corde precantur.

Erepsium intelligit

quorum ne unius quidem, ut confido, minutu[illegible]
in doctrina, et vitiorum adsentietur.
Recreavit nos plurimum oratio et disputatio
clarissimi viri Melchioris Isinderi, quam [illegible]
misit D. Michael. Harum nos maximas
tibi gratias agimus. Baptistam nostrum
τὸν ἔγκαυστον abduxit hic diebus, τῆς
βασιλείας ὁ ἡγεμὼν Χριστῷ. Puto tamen
breviter cum iter suo instituturum, quod vocatus
est. Recte valet, quod ad ipsum attinet, si
cum non contristarent publicae calamitates.
Uxorem tamen etiam ante mensem amisit.
Verum quia ita erat affecta corpore, ut nihil
aliud esset optandum, etiam sperandum ei fuit
quam cito dissolvi, et ad Christum migrari.
Finem tandem facio scribendi. Agere cum
[illegible]terum, vel quovis modo, ~~molesta~~ molestiam
animi mirifice levat. Dominus Iesus
tueatur te et tuos omnes omni molestia, et
sua celesti consolatione, quam plurimum

recreet. Item precor Vestram offeras nostris
verbis D. Pomerano, D. Maiori, D. Millichio,
et M. Paulo. Datae Argentinae 11. die
Ianuarij Anno 1549.

T. Martinus Bucerus

M. Christophori Lasij pastoris Span-
doviensis disputatio ad Phil. Melan.

De Adiaphoris

Caeremoniae sine superstitione cum [illegible] possunt
servari bona conscientia.
Declaratio finem superstitiosum tolli.
Ergo Caeremoniarum observatio non est detestanda.

Contra

Consequentia non valet. Quia quod non fit opinione
cultus, est Adiaphoron. Quia Adiaphora habent
duos prohibitos fines: Superstitionem et Scandalum.
Quando igitur Adiaphora in alterutrum impingit, tum